

quitur; dicitur alta voce, vel in cantu, ut Minister nomine populi, vel Chorus, respondendo: *Amen*, confirmet se assentire in omnibus quæ Sacerdos a Deo in Secretis petiit.

## CAPUT VIII

## DE PRÆFATIONE

Q. 155. *Quid est Præfatio, et quibus constat partibus?*

R. I. Præfatio est solemnissima Oratio eucharistica, seu gratiarum actionis, quæ proloquium constituit ad sanctissima Mystera in Canone contenta, et qua Sacerdos et fideles laudes tribuunt Deo et gratias agunt. Ideo ad eam Sacerdos vocem elevat, quia, etiamsi segregatus omnino jam a populo sit, et velis circa Altare hoc momento appensis populo invisibilis, Oratio est Sacerdotis simul et fidelium.

II. Initium Præfationis est dialogus Sacerdotem inter et populum, cujus tenor antiquissimus est.

Primo dicitur salutatio per verba: *Dominus vobiscum*, pro qua, cum populus ipsum non videt, Sacerdos manet ad Altare conversus. — Etenim antiquitus ante Præfationem, vel janua Sanctuarii claudi, vel velum circa Altare appendi solebat, ad tegenda sub Canone sacrosancta Mystera.

Admonet mox Sacerdos fideles, verbis: *Sursum corda*, ut deponentes jam plene terrenos affectus, totis suis desideriis in superna ferantur, et quæ sursum sunt quærant et sapiant. Respondetque populus: *Habemus ad Dominum*, scilicet, corda nostra elevata.

Sequitur invitatio ad gratiarum actionem, cui ex pleno affectu populus respondet: *Dignum et justum est.*

Incipit tunc gratiarum actio, cujus prima verba: *Vere dignum et justum est, etc.*, omni tempore, et in omnibus Liturgiis, tam Orientis quam Occidentis, in usu fuerunt; additis mox, in diversis Præfationibus, diversis gratiarum actionis motivis, quæ ob varia mysteria per annum celebrata, diversi tenoris reperiuntur.

Tandem, ut dignior et efficacior proferatur gratiarum

actio, cum Angelis, totaque cœlesti curia, supplici confessione Dei majestatem celebrant omnes, clamantes Hymnum gloriæ, qui e cœlis originem habet, Seraphicum, Angelicum, triumphalem, in quo 1<sup>o</sup> *Sanctus* ter repetitur, tum ex majori affectu, tum etiam ad Trinitatis personarum in unitate essentiæ professionem; in quo 2<sup>o</sup> laus specialis tribuitur Filio David benedicto, qui venit in nomine Domini, quæ pars Hymni ideo in Missis cantatis remittitur usque post Elevationem cantanda. (Cfr. Cæremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. VIII, nn. 70 et 71.) Utraque pars Hymni terminatur formula lætantium et bene precantium: *Hosanna in excelsis*.

Nulla pars Missæ est, in qua per pauca momenta tot succedunt cæremoniæ verbis jungendæ, ut explicatur in Tractatu de Celebratione Missæ; nempe capitis et corporis inclinationes, oculorum elevatio, manuum elevatio, junctio, extensio, denique ipsum Crucis signum; ut ita indicetur sanctitas et profunda verborum significatio, et ritus verbis congruat.

Q. 156. *Quænam notari possunt de antiquitate usus Præfationis in Missa?*

R. Usus Præfationis in Missa ad ipsa quasi Ecclesiæ primordia referri potest: Dialogus Sacerdotem inter et populum, ante Præfationem, jam citatur et explicatur a S. Cypriano Carthaginensi († 258), a S. Cyrillo Hierosolymitano († 386), a S. Augustino († 430).

In Liturgiis Orientalibus unica tantum Missæ propria reperitur Præfatio; e contra in Occidente plures diversæ mox in usu erant, propriæ singulis festivitibus Domini, diversis anni temporibus, Sanctisque non paucis; earumque numerus adeo excrevit, ut in Sacramentario Leoniano (cfr. Q. 23) numerare est circa 260 Præfationes.

Plures suppressæ fuerunt post tempora S. Gregorii Magni; et in Missalibus post sæculum XII scriptis, describuntur tantum novem Præfationes, quas et hodie adhuc dicimus; quibus postea duæ additæ fuerunt, nempe Præfatio quæ vocatur communis, quæ tamen antiquissima est; et Præfatio de B. Maria Virgine, quæ ante instituta fuerat a B. Urbano II († 1099), tempore

Synodi Placentinæ anni 1095, ad obtinendum protectionem B. Mariæ V., pro primo bello sub Crucis vexillo contra Turcas gerendo.

Q. 157. Quot et quæ habentur in Missali Præfationes, et in quibus Missis dicuntur ?

R. Habentur undecim Præfationes, scilicet :

1. De Nativitate Domini ; dicitur a Nativitate Domini usque ad Epiphaniam (præterquam in die Octava S. Joannis Apostoli) ; in Purificatione B. Mariæ V. ; in Festo SS. Corporis Christi, et per Octavam, nisi in ea occurrat Festum quod propriam Præfationem habeat. Item in Transfiguratione Domini, et in Festo SS. Nominis Jesu ; necnon in Missis votivis de SS. Sacramento et de SS. Nomine Jesu.

2. De Epiphania ; dicitur in Festo et per Octavam Epiphaniæ.

3. De Quadragesima ; dicitur a Feria IV Cinerum usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis inclusive, nisi in Festis propria assignetur.

4. De Passione et de S. Cruce ; dicitur a Dominica Passionis usque ad Feriam V in Cœna Domini inclusive, nisi in Festis tunc occurrentibus propria assignetur ; necnon in Missis de SS. Corde Jesu, de Pretiosissimo Sanguine, de Cruce, de Passione.

5. De Paschate ; dicitur a Sabbato sancto usque ad Ascensionem, et in Festis eo tempore occurrentibus, nisi in eis propria assignetur.

In Missa Sabbati sancti dicitur : *in hac potissimum nocte* ; in die Paschæ usque ad Sabbatum in Albis inclusive : *in hac potissimum die* ; et deinceps : *in hoc potissimum gloriosius prædicare*.

6. De Ascensione ; dicitur a die Ascensionis usque ad Vigiliam Pentecostes exclusive, et in Festis tunc occurrentibus, nisi propriam habuerint.

7. De Pentecoste ; dicitur a Vigilia Pentecostes usque ad sequens Sabbatum inclusive ; et in Missis votivis de Spiritu sancto, sed in his omittuntur Præfationis verba *hodierna die*.

8. De SS. Trinitate ; dicitur in Festo, et in Missis votivis SS. Trinitatis ; et in omnibus Dominicis per annum, quando non habetur propria de Festo aut de Tempore, juxta Decretum Clementis XIII, diei 3 Januarii 1759 (n. 2449, antiq. 4275).

9. De B. Maria V. ; dicitur in Festis B. Mariæ (excepto Festo Purificationis), et per eorum Octavas, etiam in Festis infra eas occurrentibus, si propriam non habuerint ; et in Missis votivis de B. Maria.

Dicitur autem vel *Et te in Annuntiatione*, vel *Visitatione*, vel *Assumptione*, vel *Nativitate*, vel *Præsentatione*, vel *Conceptione immaculata*, secundum denominationem Festi. In Festo Septem Dolorum dicitur *in Transfixione*. In aliis Festis dicitur *in Festi-*

*vitæ*, vel *Commemoratione*, vel *Solemnitate*, etc., secundum quod notatur in Missali et in Directorio.

In Missis votivis dicitur *Et te in Veneratione* ; tamen in votivis Septem Dolorum dicitur *in Transfixione*, et in votivis de Immaculata Conceptione dicitur *in Conceptione immaculata*.

10. De Apostolis ; dicitur in Festis Apostolorum et Evangelistarum (præterquam in ipso Festo S. Joannis Apostoli), et per Octavas eorum, etiam in Festis infra eas occurrentibus, nisi in his propria assignetur ; item in Missis votivis de Apostolis.

11. Communis ; dicitur in omnibus Festis in hebdomada, et in Feriis per annum, quæ propriam non habent ; et in Missis Defunctorum.

Q. 158. Quæ Præfationes vocantur « propriæ de Tempore » ?

R. Sunt illæ Præfationes, quæ in omnibus Missis, exceptis Missis de *Requiem*, per aliquod tempus anni ecclesiastici dicuntur, nisi infra illud tempus celebrentur aliquod Festum, aut Octava, vel dicatur aliqua Missa, ex. gr., votiva, quæ propriam suam Præfationem habent.

Sunt sequentes : 1. Præfatio de Nativitate Domini (Q. 157, n. 1), quæ dicitur a Festo Nativitatis Domini usque ad Vigiliam Epiphaniæ inclusive, præterquam in die Octava S. Joannis Apostoli.

2. Præfatio de Quadragesima (n. 3), quæ dicitur a Feria IV Cinerum usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis inclusive.

3. Præfatio de Passione (n. 4), quæ dicitur a Dominica Passionis usque ad Feriam V in Cœna Domini inclusive.

4. Præfatio de Paschate (n. 5), quæ dicitur a Sabbato sancto usque ad Vigiliam Ascensionis inclusive.

5. Præfatio de Ascensione (n. 6), quæ dicitur a Festo Ascensionis usque ad Vigiliam Pentecostes exclusive. Tempus quo dicitur hæc Præfatio brevissimum est, quia ultra Octavam ipsius Festi una tantum est dies, in qua dicitur, scilicet Feria VI post Octavam Ascensionis.

Stricte loquendo, inter Præfationes de Tempore etiam recenseri possent : Præfatio de SS. Trinitate (n. 8), quæ dicitur omnibus diebus Dominicis, extra tempora supra indicata, et Præfatio communis (n. 11), quæ dicitur toto anno per hebdomadam, extra tempora supra indicata ; tamen, ut ex responso ad sequentem Quæ-

stionem patebit, communiter tamquam Præfationes propriæ non reputantur.

Q. 159. *Quæ dantur in Rubricis regulæ pro usu Præfationum?*

R. Regulæ dantur sequentes;

1<sup>a</sup> Si Missa Festi quod celebratur habet Præfationem propriam, hæc semper dici debet.

Fieri potest, quod Festum hujusmodi celebretur infra Octavam quæ propriam habet Præfationem, aut infra tempus anni ecclesiastici pro quo propria datur Præfatio: istæ negliguntur, et dicitur Præfatio propria Missæ Festi quod celebratur.

Exempla: Quoties celebratur Missa de SS. Sacramento, aut de B. Maria V., aut de S. Apostolo, dicitur Præfatio respective de Nativitate Domini, aut de B. Maria V., aut de Apostolis.

Die 14 Septembris celebratur Festum Exaltationis S. Crucis, infra Octavam Nativitatis B. Mariæ V., per quam Octavam præscribitur Præfatio de B. Maria V. (Q. 157, n. 9); dicitur tamen in Missa Festi Præfatio de Cruce (ibid. n. 4).

Feria VI post Dominicam de Passione celebratur Festum Septem Dolorum B. Mariæ V.; etiamsi pro tempore Passionis præscribitur Præfatio de Cruce (ibid. n. 4), dicitur tamen in Missa Festi Præfatio B. Mariæ V. (ibid. n. 9).

Unicum excipitur Festum S. Joannis Apostoli, 27 Decembris, in cuius Missa secundum regulam positam deberet dici Præfatio de Apostolis; præscribitur tamen pro Missa Festi (non autem pro Missa in die Octava S. Joannis) Præfatio de Nativitate Domini, fortasse ob intimam relationem dilecti discipuli cum Verbo quod homo factum est.

2<sup>a</sup> Si Missa Festi quod celebratur non habet Præfationem propriam, sed si currit Octava alicujus Festi infra quam præscribitur Præfatio propria Festi (etenim Festum cuius Missa habet suam propriam Præfationem, hanc retinet per totam suam Octavam), dicitur Præfatio Festi cuius Octava celebratur, etiamsi Missa non dicatur de Octava, sed de alio Festo, modo hujus Missa tamen propriam Præfationem non habeat.

Exempla: Die 1 Julii celebratur in Diocesi Mechliniensi Festum duplex 1 classis S. Rumoldi, Patroni Archidiocesis; celebratur autem Octava SS. Apostolorum Petri et Pauli, Apostolorum, quorum Missa habet suam propriam Præfationem dicendam per totam Octavam; etiamsi in Missa S. Rumoldi de

Octava nequidem Commemoratio fiat, tamen in hac Missa dicenda est Præfatio de Apostolis, ratione Octavæ SS. Apostolorum Petri et Pauli.

Item in Festo S. Joachim Patris B. Mariæ V., quod celebratur Dominica infra Octavam Assumptionis B. M. V., ritu duplici 2 classis, Octavæ Assumptionis Commemoratio quidem non fit, Præfatio tamen de B. Maria V. dicitur ratione Octavæ. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 29 Novembris 1755, n. 2439, antiq. 4259, ad 2.)

Casu quo duæ simul currant seu celebrentur Octavæ Festorum, quæ ambo habent suam propriam Præfationem, dicitur, iis diebus quibus simul currunt, Præfatio Festo dignioris seu Octavæ dignioris.

Quod si Octava quæ prævalet propriam non habet Præfationem, tunc dicitur Præfatio Octavæ minus dignæ, etiamsi pro reliquis veniat post Octavam prævalentem.

Casus hujusmodi raro occurrunt.

3<sup>a</sup> Si Missa quæ dicitur non habet Præfationem propriam, et si nulla currit Octava Festi cuius Missa Præfationem propriam habet, tunc in Missa, de quocumque objecto dicatur, sive de Festo aut Officio votivo, sive de Dominica, sive de Feria, de Vigilia, dicitur Præfatio propria de Tempore anni ecclesiastici infra quod Missa dicitur. (Cfr. Q. 158.)

Exemplum: Festum S. Joseph, Sponsi B. M. V., celebratur 19 Martii; non habet ejus Missa Præfationem propriam; circa 19 Martii nullum Festum cum Octava regulariter celebrari potest; sed Festum S. Joseph occurrere potest Tempore Quadragesimæ, ut fuit anno 1898: dicitur tunc in ejus Missa Præfatio de Quadragesima (Q. 158, 2); occurrere potest etiam Tempore Passionis, ut anno 1899: dicitur tunc in ejus Missa Præfatio de Passione (ibid. 3); potest etiam fieri quod transferatur Festum usque post Dominicam in Albis, ad Tempus Paschale; uti factum fuit anno 1894: tunc dicenda fuit Præfatio de Paschate (ibid. 4).

4<sup>a</sup> Si Missa quæ dicitur non habet Præfationem propriam, et si non dicitur infra aliquam Octavam quæ propriam Præfationem habet, neque infra aliquod Tempus anni ecclesiastici pro quo specialis præscribitur Præfatio, tunc in Missa quæ celebratur diebus Dominicis, sive sit de Dominica, sive sit de Festo, dicitur Præfatio de SS. Trinitate (Q. 157, 8); et in Missa quæ

celebratur extra diem Dominicam, in die quacumque hebdomadæ, sive sit de Festo, sive de Feria, sive de Vigilia, dicitur Præfatio communis (Q. 157, 11).

Exemplum : Festum S. Dominici, Confessoris, celebratur 4 Augusti ; non habet Præfationem propriam ; in Calendario Ecclesiæ universæ, et in Calendario Diocesano nulla præscribitur tunc celebranda Octava ; hoc anni tempore nulla præscribitur Præfatio Tempori anni propria : si dies 4 Augusti est dies Dominica, uti fuit anno 1895, in Missa S. Dominici dicenda est Præfatio SS. Trinitatis ; si dies 4 Augusti occurrit infra hebdomadam, in Missa S. Dominici dicitur Præfatio communis.

5<sup>a</sup> In Missis de *Requiem*, semper dicitur Præfatio communis. (Rubricæ generales, Tit. XII, n. 4.) — In quibusdam Missalibus pro Defunctis reperitur quidem aliqua Præfatio propria pro Missis de *Requiem*, concessa quibusdam Diœcesibus aut Religiosis Familiis ; sed hæc Præfatio, absque speciali Indulto, a nemine dici potest.

NOTA. Quæ Præfatio sit dicenda in Missis votivis, explicabitur in Sectione altera Tractatus, ubi agitur de hujusmodi Missis.

Q. 160. *Quid notandum venit de cantu qui pro Præfationibus describitur in Missali ?*

R. Præfationes undecim omnes describuntur in Ordine Missæ cum cantu dicto *solemni*. Hoc solemniter tunc debent Præfationes cantari in omnibus Missis Officiorum, quæ ritu saltem semiduplici celebrantur : ergo in omnibus Missis Festorum duplicium et semiduplicium, et per Octavas eorum, necnon in omnibus Dominicis.

Remanent Missæ Officiorum quæ ritus simplicis tantum sunt, nempe Missæ Festorum simplicium, Feriarum, et Vigiliarum ; pro his describuntur quædam Præfationes de Tempore cum cantu dicto *feriali*, cantandæ in Missis hujusmodi Officiorum, secundum tempus anni quo occurrunt ; hoc tono feriali describuntur Præfationes tres sequentes : de Quadragesima ; de Passione et de Cruce ; de Paschate ; hoc eodem tono feriali describitur Præfatio communis, pro Missis Officiorum simplicium, quæ per annum extra Tempora prædicta cantantur, et pro Missis de *Requiem*.

Sed insuper ritus simplicis sunt, ut in altera Tractatus Sectione exponetur, Missæ votivæ privatæ ; quæ privatæ vocantur ratione ritus, sed etiamsi ita privatæ dicantur, possunt tamen in cantu celebrari ; in iis autem omnia, ergo etiam Præfationes, debent tono feriali cantari.

Ob hoc motivum, describuntur etiam in Ordine Missæ cum suo cantu feriali, Præfationes sequentes quatuor, ultra quatuor supra dictas : de SS. Trinitate, de Spiritu sancto, de B. Maria Virgine, de Apostolis ; tono feriali cantandæ in Missis votivis respective de SS. Trinitate, de Spiritu sancto, de B. Maria V., de SS. Apostolis. — Notatur in Missali, quod Præfatio de Passione et de Cruce, supra jam relata, cum suo cantu feriali etiam usuvenit in Missis votivis tum de Cruce, tum de Passione Domini ; insuper hæc Præfatio dicitur in Missis votivis de SS. Corde Jesu.

Tres ergo supersunt ex undecim Præfationes, quæ in Ordine Missæ non describuntur cum cantu feriali, scilicet Præfationes de Nativitate Domini, de Epiphania, et de Ascensione.

Præfatio de Epiphania certo numquam esse potest cantanda in tono feriali, cum non dicatur nisi in Festo et per Octavam privilegiatam Festi Epiphaniæ, quando ritus est duplex vel semiduplex.

Sed idem non est dicendum de Præfationibus tum de Nativitate Domini, tum de Ascensione ; pro quibus ponitur Quæstio sequens.

NOTA. In Præfationis cantu in Missis cantatis Organa pulsari nequeunt. (Decret. S. Rituum Congregationis, 27 Januarii 1899, n. 4009. Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 276, Nota I.)

Q. 161. *Quid observandum est pro cantu Præfationis de Nativitate Domini, in Missis votivis privatis quæ cantantur de SS. Sacramento, et de SS. Nomine Jesu ? Quid pro cantu Præfationis de Ascensione, in Missa votiva privata quæ propriam Præfationem non habet, et quæ in cantu celebratur vel infra Octavam Ascensionis, vel Feria VI post hanc Octavam ?*

R. I. Notatum fuit jam (Q. 157, 1) Præfationem de Nativitate esse propriam Missarum de SS. Sacramento,

et de SS. Nomine Jesu ; ergo in Missis votivis horum Mysteriorum hæc earum propria Præfatio canenda est in tono feriali ; sed in hoc tono non describitur in Ordine Missæ hæc Præfatio.

Casus propositus fuit S. Rituum Congregationi, et petitum, « utrum in ejusmodi Missis votivis Præfatio in tono solemniter cantanda sit ; an in feriali ? » Petitum fuit simul, ut liceat in Ordine Missæ, suo apto loco, apponere cantum feriale ejusdem Præfationis ? S. Congregatio, per Decretum 29 Februarii 1868 (n. 3168, antiq. 5393, ad 3), respondit, Præfationem de Nativitate in casu esse canendam « tono feriali ». Non permittit apponere hunc cantum feriale in Ordine Missæ, fortasse ut hic a S. Pio V stabilitus immutatus omnino remaneat ; sed indulget ut, ad commoditatem Sacerdotis Missam cantaturi, ad calcem Missalis, et ultimo prorsus loco, apponi possit Præfatio de Nativitate in tono feriali, cum hac rubrica : « Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur in Missis votivis de SS. Sacramento, et de SS. Nomine Jesu. » In ultimis editionibus Missalis reperitur hæc Præfatio post Appendices Missarum. (Cfr. Q. 43.)

Quod si haud reperiatur in Missali hujusmodi cantus ferialis, quid in praxi ? Quod fieri potest, fiat. Si peritia sua fretus, feriali ratione valeat Celebrans Præfationem canere, optime se geret ; secus stet Missali ; non enim obligari Celebrans potest ad diversam ab ea quam præ oculis habeat notationem exsequendam. (Ephemerides liturgicæ, III, 1889, p. 332.)

II. Si aliqua Missa votiva privata, quæ Præfationem propriam non habet, ex. gr., de S. Joseph, cantatur in die aliqua qua fieri potest, a Festo Ascensionis usque ad Vigiliam Pentecostes exclusive, eadem difficultas habetur, quia hujus Præfationis cantandæ de Ascensione nullibi tonus ferialis describitur ; nisi diceret primam partem : *Vere dignum .. nostrum*, esse Præfationis communis, ultimam : *Et ideo... dicentes*, esse Præfationis Paschatis, et proinde remanere solam phrasim mediam : *Qui post... particeps*, non notatam. Sed laboriosa et operosa jam dicenda foret talis praxis ; itaque, ut supra conclusum fuit, in casu, quod fieri potest, fiat.

## CAPUT IX

## DE CANONE MISSÆ

Q. 162. *Quid intelligitur per Canonem Missæ ? Quæ est ejus antiquitas ?*

R. I. Pars sanctissima Missæ, in qua sanctissimæ Actionis Mysterium perficitur vocatur *Canon* ; quæ græca vox latine *Regula* nuncupatur. Est itaque Canon fixa stabilisque regula, juxta quam incruentum Novi Fœderis Sacrificium celebrandum est.

Vocatur *Canon*, id est Regula fixa, norma stabilis, quia semper in omni Sacrificio, per totum annum, iisdem ritibus hæc Missæ pars perficitur, iisdemque constat Orationibus ; exceptis solummodo quibusdam verbis, quæ aliquando adduntur occasione quorundam Festorum, vel ad commemorandum certas personas, ut infra notabitur.

Vocatur etiam *Actio κατ'ἑξοχήν*, legitima et regularis Sacramentorum confectio.

Stricte loquendo, Canon, qui totus refertur ad Consecrationem, additis ante et post ritum Consecrationis determinatis precibus, incipit post Præfationem et Hymnum *Sanctus*, et desinit verbis : *Per omnia sæcula sæculorum. Amen*, quæ dicuntur ante Orationem Dominicam *Pater noster*.

In silentio totus dicitur, paucissimis verbis exceptis, ex mandato Ecclesiæ, omniumque sæculorum usu ; ut sacris Mysteriis hac silentii gravitate major reverentia concilietur, et augeatur Fidelium veneratio erga ipsa, quorum ita discant inaccessam altitudinem et profunditatem in sacro silentio admirari.

De Canone Missæ effatur Concilium Tridentinum (Sessione 22, Capite IV) : « Cum sancta sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum Sacrificium ; Ecclesia Catholica, ut digne reverenterque offerretur, ac perciperetur, sacrum Canonem multis ante sæculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem ac pietatem quamdam redoleat, mentesque offeren-